

suā glória, neque suam valet ipsa comprehendere celsitudinem : eo enim ipso quo Mater Creatóris effécta est ómnium creaturárum jure óptimo dómīna, Reginaque constitúta est. Vere fecit tibi magna, qui potens est, o María : vere ex hoc quod Matrem suam te constituit, beatam te dicent omnes generatiónes sæculórum, et nati eórum, et qui nascéntur ex illis.

R. Ornátam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam filiae Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : Unguentum effúsum nomen tuum, allelúia. **V.** Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deauráto, circumdata varietáte. — Et.

Lectio vij.

HOC nomen ex ómnibus ipsa in libro Ecclésiástici sibi delégerat, dicens : Ego mater pulchræ dilectiÓNis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. Ac si diceret : Quid me áliis nomínibus nuncupátis? Hoc solo nómine dignor, hoc solo cúpío nuncupári vocabulo, in meam laudem hæ solum præ áliis pèrsonent voces, in his mihi supra modum compláceo ver-

bis. Nihil me ita deléctat audire, quam cum dicitur mihi : de qua natus est Jesus. Audi ergo, piíssima, audi clementíssima, de qua natus est Jesus. Hoc est enim nomen super omne nomen puræ creaturæ, in quo nemo tecum partícipat, o Virgo. Cui enim aliqúando, non dicam hóminum, sed étiam Angelórum dixit : Mater mea es tu, Filius tuus sum ego? Hoc autem sicut summæ dignitátis, ita étiam perfectiÓNis nomen est; summa enim humanæ creaturæ perfectiÓNis vitæ hujus tota in amore Dei est : ómnium autem amorum vitæ præsentis, nullus est tantus, quantus matris ad filium. Hoc itaque matris honóre, sola Virgo gaudes, sola dotáris, tibi soli cum supérno Parénte commúnis est Filius, et quantum creaturæ fas est simillimus amor : amat Angelus, sed ut Dóminum : amat Virgo, sed ut filium. Ac proinde Angelus ab ipso redamátur, sed ut servus; sed Virgo redamátur ut mater, in utróque beáta, et quia sic amat, et quia amátur ab illo. Huic ergo pleno gáudio jubilémus : est enim unde apud ipsam quodámodo gloriémur.

R. Favus distillans lábia tua, mel et lac sub lingua tua,* Et odor vestiméntórum tuórum sicut odor thuris, allelúia. **V.** Pulchra es amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem, terribilis ut castrórum ácies ordináta. — Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Añā. Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, in ómnibus pópulis mirabilia ejus, allelúia.

V. Posuisti Dómine super caput ejus, allelúia.

R. Corónam de lápide pretiósio, allelúia.

Lectio sancti Evangélii secundum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tēpore : Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdalene. Et reliqua.

Homíllia sancti Petri Damiani.

Ex Serm. i. de Nativ. Virg. in fine.

Irgo Dei Génitrix, cujus pulchritudinem sol et luna mirántur, súbveni dómīna clamántibus ad te júgiter : Revértere, revértere, Sunamítis, revértere, revértere, ut intueámur te. Tu, benedícta, et superbenedícta, revértere primo

per natúrā. Numquid quia ita deificáta, ideo nostræ humanitátis oblíta es? Nequáquam, dómīna : scis in quo discrimine nos reliqueris, ubi jáceant, quantum delínquant servi tui : non enim cónvenit tantæ misericórdiæ, tantam misériam oblivísci; quia etsi súbtrahit glória, révocat natúra : non enim ita memoráris justitiæ Dei solius, ut misericórdiam non hábeas, neque ita es impassibilis, ut sis impassibilis. Natúrā nostram habes, non áliam; et justum est, ut de ore tantæ pietátis diffúsius infundámur.

R. Accépit regnum decóris et diadéma speciéi de manu Dómini : * Quóniam dextera sua reget nos, et bráchio sancto suo próteget nos, allelúia.

V. Tamquam si cui mater blandiátur, ita et ego consolábor vos. — Quóniam.

Lectio viij.

Revértere secúndo per poténtiam. Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potéstas in cœlo et in terra. Nihil tibi impossibile, cui possibile est desperátos in spem beatitúdinis releváre. Quómodo enim illa potéstas tuæ poténtiæ

poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans, domina non ancilla. Moveat te natura, potentia moveat, quia quanto potentior, tanto misericordior esse debet. Potestati enim cedit ad gloriam, injurias ulcisci nolle cum possit. ¶ Revertere tertio per amorem. Scio domina, quia benignissima es, et amas nos amore invincibili, quos in te et per te Filius tuus et Deus tuus summa dilectione dilexit. Quis scit, quoties refrigeres iram iudicis, cum iustitiæ virtus a presentia Deitatis egreditur?

℞. Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris? * Quæ est ista quæ ascendit deliciis affluens, innixa super dilectum suum, alleluia. ℞. Amica mea pulchra, suavis, decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. — Quæ. Gloria Patri. Quæ.

Lectio ix.

Revertere quarto per singularitatem. In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini,

et sola electa es, cui gratia conceditur. Absit, ut cesset manus tua cum occasione quæras salvandi miseros, et misericordiam effundendi: neque enim tua gloria minuitur, sed augetur, cum poenitentes ad veniam iustificati, ad gloriam assumuntur. Revertere ergo Sunamitis, id est, desperta, cujus animam pertransivit gladius, quæ fabri uxor appellata fuisti. Ad quid? Ut intueamur te. Summæ gloriæ est, post Deum, te videre, adherere tibi, et in tuæ protectionis munimine demorari. Audi nos, nam et Filius nihil negans honorat te, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum.

Te Deum laudamus.

Si ix. Lectio debet recitari de Dominica vel de Simplici, tunc ex tribus Lectionibus duæ fient, nempe octava usque ad ¶ Revertere tertio. nona usque ad finem.

**AD LAUDES,
et per Horas, Anæ.**

1. Adamavit eam * Dominus plus quam omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite ejus, alleluia.

2. Posuit * super caput ejus diadema, ut ostende-

ret cunctis populis et principibus pulchritudinem ejus, alleluia.

3. Tu gloria * Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, alleluia.

4. Veni de Libano * sponsa mea, veni de Libano, coronaberis, alleluia.

5. Fulcite me * floribus, stipate me malis, quia amore langueo, alleluia.

Capitulum. Prov. 8.

EGO diligentes me diligo, et qui mane vigiliant ad me, inveniunt me. In viis iustitiæ ambulabo, ut ditem diligentes me. Qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidunt me, vitam æternam habebunt.

Hymnus. O gloriosa Virginum.

℞. Corona aurea super caput ejus, alleluia. ℞. Expressa signo sanctitatis, gloriæ et honoris, alleluia.

Ad Bened. Anæ. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis impleremini: spiritus enim meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum, alleluia.

Oratio.

Deus, qui beatissimam Virginem Mariam, omnium Sanctorum Re-

ginam, et Matrem pulchræ dilectionis, nos venerari tribuisti: concede propitius, ut ipsa protegente, te in omnibus et super omnia diligamus in terris, et Sanctorum tuorum felici consortio perfruamur in caelis. Per Dominum.

Commem. simplicis tantum.

AD TERTIAM.

Capitulum. Ego diligentes. ut in Laudibus.

℞. br. Gloria et honore coronasti eam Domine, * Alleluia, alleluia. Gloria. ℞. Et constituisti eam super opera manuum tuarum. Alleluia, alleluia.

Gloria Patri. Gloria et honore.

℞. Stola jucunditatis induit eam Dominus, alleluia. ℞. Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus, alleluia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Prov. 8.

Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.

℞. br. Stola jucunditatis induit eam Dominus, * Alleluia, alleluia. Stola. ℞. Et coronam pulchritudinis posuit super caput

ejus. Allelúia, allelúia.
 Glória Patri. Stola.
 V. Posuisti Dómine super caput ejus, allelúia.
 R. Corónam de lapide pretiósó, allelúia.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 24.

QUI audit me, non confundetur; et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

R. br. Posuisti Dómine super caput ejus, * Allelúia, allelúia. Posuisti. V. Corónam de lapide pretiósó. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Posuisti.

V. Ora pro nobis Mater pulchræ dilectiónis, allelúia. R. Ut digni efficiámur promissionibus Christi, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter sequentia.

V. Ora pro nobis Mater pulchræ dilectiónis, allelúia. R. Ut digni efficiámur promissionibus Christi, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. O beáta Virgo María : tu véniæ vena, tu grátiae et pulchræ dilectiónis Mater, tu spes mundi et cœli Regína, exáudi filios tuos clamántes ad te, allelúia.

Commem. sequentis.

DIE I. JUNII.

Die iij. infra Octavam

S. Ferdinandi.

Semiduplex.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermóne sancti Joánis Chrysóstomi.

Lectio iv.

De S. Philog. ante med.



D hanc beátam réquiem tránsiit beátus Ferdinándus.

Quænam igitur oratio par sit viri laudibus, quem Deus tam felici sorte dignátus est? Non est ulla. Sed age, dic mihi, num idcirco silébitus? et cujus rei grátia convénimus? An dicémus nos haud posse magnitudinem gestórum oratione cónsequi? At qui ob hoc ipsum necesse est dicere, quandoquidem hæc est præcipua laudum illius pars, quod factis verba æquiparári non possint. Nam quorum benefacta naturam étiam súperant mortálem, perspicuum est, quod horum laudes excédunt linguam humánam. Haud tamen ob id aspernabitur officium nostrum, quod pro viribus præstámus, sed suum imitábitur Dóminum : síquidem et ille víduæ duos tantum óbolos

dejiciénti in gazophylácium, non tantum duórum óbolórum mercédem, sed multo ámplius réddidit.

R. Leváte signum.

Lectio v.

PROinde quamvis nostræ facultates exiliæ sint, minimique prætíi, attamen, quæ póssumus, offerimus. Ea licet non respóndent magnitudini meritórum animæ præclári justique Ferdinándi, tamen hoc ipsum celsitudinis illius máximum fúerit arguméntum, quod nec pusilla repéllat, sed idem fáciat quod solent dívites. Síquidem illi, cum accéperint a tenúibus exigua, quibus non egent, sua vicíssim appónunt, remunerántes eos, qui quod póterant, obtúlerint. Ídem et hic cum accéperit a nobis laudem verbis peractam, qua nequáquam eget, redonábit nobis per ipsa facta benedictionem, qua semper uti possimus.

R. Cum audísset.

Lectio vj.

UNde igitur laudatió nem illius auspiciábimur? An a magistrátu quem spíritus illi trádidit grátia? Nam mundáni magistrátus nequáquam possunt Christianórum demonstráre virtútes, quin

pótius frequénter habent accusatió nem máltiæ. Quam ob causam? quóniam et sollicitú dines amicórum et circumcursatiónes et adulationes áliaque permúlta his fædióra talis magistrátus solent conciliáre. Céterum ubi Deus suo suffrágio designárit áliquem, incorruptum suffrágium, aliénium ab omni suspicióne judicium, indubitáta fuerit delécti comprobátió, propter ejus, qui delégit, auctoritátem.

R. Jéricho clausa.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Nolite timére, pusillus grex, quia complácuít Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia sancti Petri

Chrysólogi.

Ex Serm. 22.



Ræmia statuúntur iis semper, quibus certámina dura proponúntur : ac pro magnitudíne certáminis, præmii propónitur magnitúdo. Hinc est quod discipulis suis Christus regnum ponit in præmio, ut in certámine non cedant periculis, non timóri. Pericula déspicit, qui tendit ad re-

gnum; victoriæ cupidus nescit timere. Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Grex pusillus mundo magnus Deo: pusillus, quia gloriosos vocat eos, quos instituit ad omnium innocentiam et mansuetudinem christianam.

R. Congregavit omnes.

Lectio viij.

ADjécit quid faciendum sit regnatúris: Véndite quæ possidéitis. Non potest dominári omnibus, nisi is qui propriis non tenétur. Dejectæ mentis est, qui familiaris rei méminit, cum vocátur ad regnum: jacens ánimus plebéius númmulum thesáuris regalibus antepónit. Pauper sensus parvis incubans perdit magna: et inhians temporalibus deserit sempiterna. Homo, tali mónitu Christus te ditare voluit, non nudare: manere tibi tua voluit, non perire: perpetuari, non vacuari sácculos imperavit: jussit te transfere, non perdere.

R. Manet invictus.

Lectio ix.

PLus consilio patris agit, quam jure dominantis. Inter insidias latronum et tinearum morsus quare tua recón-

das, objúrgat: pervigiles noctes, dies anxios, sollicita tempora ne tibi ipse facias, commoneris. Auri custos, servator argenti, securitatem non habet, nescit quietem: et cui deest securitas, quies perit: pœna dives est ille, non censu. Thesaurum non deficientem in celo: hoc est dicere: Ubi ego sum, ibi ponite: date mihi, ego servo. Homo, da Patri, crede Deo: quia et heredi Pater, et Deus homini creditum non negabit: tenere tua non potest, qui sua dedit.

Te Deum laudamus.

In Vesp. fit Commemoratio SS. Marcellini etc. Mart.

EADEM DIE I.

S. Peregrini Latiosi

Confessoris. Duplex.

Officium ut in fine Brevariarii die xij. Maii.

In Laudibus fit Commemoratio Octavæ S. Ferdinandi.

In Vesperis fit Commemoratio Octavæ et simplicis.

DIE II. JUNII.

Die iv. infra Octavam

S. Ferdinandi.

Semiduplex.

Commem. simplicis.

Inj. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno. De Sermone sancti Joannis Chrysostomi.

Lectio iv.

Unde supra paulo post.

Quamvis autem sit pietatis argumentum, quod Deus illum tanto magistratu dignum judicavit, audi. Christus excitatus a morte, quid dicit Petro? Postquam enim illum interrogasset: Petre, amas me? isque respondisset: Tu, Domine, scis quod amate; dicit illi: Si diligis me, pasce oves meas. Hoc autem dicebat, non solum ut nobis certissime declararet, quanto opere ipsum diligeret Petrus, verum etiam ut palam faceret, quantam haberet benevolentiam erga suas oves. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat omnium illius, publicam quærat utilitatem, fratrum suorum salutem prospiciat. *R.* Levate.

Lectio v.

Nullum enim officium hoc Deo carius est, et ob id alicubi dicit: Simon, Simon expetivit te satanas, ut cribraret te satanas, ut cribraret te tamquam triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quid igitur hujus sollicitudinis curæque præmium mihi rependis?

Eandem curam quam nobis impendit, reposcit. Nam et tu, inquit, aliquando conversus confirmando fratre tuos. Neque prorsus alia res est, quæ perinde declaret doceatque quis sit fidelis et amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat sollicitudinem. *R.* Cum audisset.

Lectio vi.

HÆC omnes audiant et monachi, qui montium occuparunt cacumina, quique modis omnibus seipsos mundo crucifixerunt, quo pro viribus Ecclesiarum præfectos adjuvent, horumque curas leniant precibus concordia, caritate: scientes, quod nisi modis omnibus opitulentur iis, qui tot periculis objiciuntur per gratiam Dei totque negotiorum curas sustinent, quibuscumque possunt rationibus auxilientur, quamquam procul habitantes et victus sors ipsis perisset, et tota in scopolum impigisset sapientia.

R. Jéricho clausa.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij.

Cap. 12.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere, pusillus

grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia sancti Petri Chrysologi.

Ex Serm. 23.

Audistis hodie, quem admodum Dominus pastorali júbilo clangorem tubæ cœlestis adiunxit, ut diu inclinatas ovium mentes ad divina tolleret, cœlestè prótinus promoveret ad regnum. Acquisivit humilitas, supèrbia quod amisit : et grex pusillus ac mitis totas et varias edomuit propria mansuetudine feritates : pusillus grex vicit ac fregit tot gênera bestiârum, quod diversitates subdidit jugo Christi nationum.

R. Congregabit.

Lectio iij.

Rex pusillus ac mitis diu contentus occidi, diu devorari passus est, donec gentilis sævitiâ sanguine satiata, vel carnibus evangélici pábuli suavitatem et divini fontis fluénta degustans, totum contágium sæculi evitaret et pastum, atque in hominem rediret ex bestia, qui ex homine fuerat dilapsus in bestiam. Hoc sensisse ante Prophetas, hoc Apostolos implésse, hoc pertulisse Mártyres constat,

attestante illo qui dicit : Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Ut vero iste grex novi ordinis aggregeretur proelium, ubi vivit ille qui fuit occisus : imitatus est suum Regem, illum secutus est Agnum, qui sicut ovis ad occisionem ductus est. **R.** Manet.

Lectio ix. de SS. Marcellino, etc. ex duabus una, ut in Breviario, et fit Comm. eorum in Laud.

DIE III. JUNII.

Die v. infra Octavam S. Ferdinandi.

Semiduplex.

Inj. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno, Lect. Deridetur justus. de Comm. Conf. non Pont. ij. loco.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia sancti Petri Chrysologi.

Unde supra.

SED audiamus jam, quid pusillo gregi talis promiserit pastor. Nolite timere, inquit,

pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. O bonitas effusa ! O inaudita pietas ! O ineffabilis affectio ! In societate census pastor oves assumit, atque ad consortium dominationis servos dominus asciscit : ad principatum regni rex gregem populi totius admittit. Sic, sic dat, cui deficere census, cui regnum minui, vacuari potestas non potest largiendo.

R. Congregavit omnes.

Lectio viij.

Ecce qui dat, dare loquitur Patrem. Numquid largitatem suam denegat sic dicendo ? Absit : non potestatem minuit, sed pandit affectum : sic dicendo non distantiam facit, sed Patris suamque voluntatem monstrat, firmat unitatem. Quod autem dixit : Complacuit, et non dixit : Placuit : munus edocet Trinitatis : quia quod erga nos Filio placuit, hoc complacuit Trinitati.

R. Manet invictus.

Lectio ix.

Post tantam ergo Dominus largitatem, post suam gratiam tibi copiosius collatam, abjecta et vilia peculia servitutis jubet abjicere regnaturum : Vendite quæ pos-

sidetis, et date elemosynam. Plebéium cultum regia non admittit potestas : augustus honor non nisi diademate confertur et purpura. Abjicere ergo debet habitum servitutis, qui se regem credit divinitus consecratum. Est consuetudinis, est animi felicitis, ut ascitus ad regnum, quod fuit proprium, quod privatum, mox parentibus, mox propinquis, civibus indigentibus liberaliter prorogaret, ne sit mendicus animo, qui census functus et honore.

Te Deum laudamus.

Vesperæ de S. Francisco Caracciolo, Commemor. Octavæ.

DIE VI. JUNII.

Octava

S. Ferdinandi.

Duplex.

Omnia ut in die Festi, præter Lectiones seq.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernardi

Abbatis.

Lectio ib.

Serm. 2. de S. Victore.

Audete in Domino, dilectissimi, qui inter continua suæ pietatis beneficia indulsit hominem mundo, cujus multi salvarentur exem-

plo. Iterum dico, gaudete, quod factus de medio appropriavit Deo, ut multo plures ejus intercessione salventur. In terris visus est, ut esset exemplo; in cœlum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transfere desiderat, et supplicantis affectum et supplicationis fructum. Quid enim quaerat sibi, qui nullus eget?

R. Levate.

Lectio v.

HÆC dies gloriôsæ migrationis ejus : dies lætitiæ cordis ejus : exultemus et lætemur in ea. Introivit in potências Domini, gaudeamus, quia nunc poténtior est ad salvandum. Hódie Ferdinándus pósito corpore, tanto alacrior quanto expeditior penetrávit in Sancta, similis factus in glória Sanctorum. Hódie despécto mundo et mundi príncipe triumpháto, supra mundum vere victor ascéndit, accípiens de manu Domini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum iménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis,

miráculis gloriósus. Sedet veteránus miles, debita jam suavitate et securitate quiétus : securus quidem sibi, sed nostri sollicitus. O venerándam étiam ipsis Angelissanctitatem, quam pari stúdio, etsi dispari voluntate, et mali fugitant, et frequentant boni! Nec fáciie dixerim, quid virum ástruat sanctiorem, horum favor, aut pavor illórum. *R.* Cum audisset.

Lectio vj.

OMiles emérite, qui cristiánæ militiæ duris laboribus angélicæ felicitátis réquiem commutásti, respice ad imbélles et imbecilles commilitónes tuos, qui inter hostiles gládios et spiritáles nequitias tuis laudibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Ferdinándé, in hoc loco afflictiónis, et in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precári! Nomen tuum et memoriále tuum, favus distíllans in lábiis captivórum, mel et lac sub lingua eórum, qui tui memoria delectántur. Eia ergo, fortis athléta, dulcis patróné, advocáte fidélis, exsúrge in adjutórium nobis; ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris. *R.* Jéricho clausa.

In iij. Nocturno, Homilia ut in Festo.

DIE XVI. JUNII.

S. Joannis Francisci Regis

Conf. Semiduplex.

Oratio.

DEus, qui ad plúrimos pro salute animárum perferéndos labóres beatúm Joánnem Franciscum Confessórem tuum mirábili caritate, et invicta patientia decorásti : concéde propítius, ut ejus exémpis instructi; et intercessiónibus adjúti, ætérnæ vitæ præmia consequámur. Per Dóminum.

DIE XVIII. JUNII.

SS. Martyrum Cyriaci et Paulæ Virg. Dupl.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus : ut familia tua, quæ sanctorum Mátyrum tuórum Cyriáci et Paulæ triúmphis gloriátur, fiat in Christi tui amóre fervéntior : et quos patrónos venerátur in terris, pios apud te intercessóres habere mereátur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Commém. SS. Marci et Marcelliani Mart. ut in Breviario.

OFFICIUM VOTIVUM

S. Jacobi

Apostoli, Hispaniæ Patroni.

Ex concessione Clementis Papæ IX. recitandum in regnis Hispaniar. (ritu semiduplici, atque extra Adventum, Quadragesimam Feriam secundam Rogationum et Vigiliis) singulis Feriis secundis non impeditis Festo novem Lectionum nec Officio Dominicæ anticipandæ.

Leo vero Papa XIII. die 24. Novembris 1884. indulgere dignatus est translationem hujus Officii a Feria secunda ad tertiam, itemque extensionem Officii ejusdem ad omnes illas Ferias indulto Clementino exceptas, et quas non excipit indultum generale diei 5. Julii 1883 : ita tamen ut diebus in veteri indulto exceptis, hodie liberum sit recitare Officium votivum, aut feriale, vel Vigiliæ; diebus vero in eodem veteri indulto non exceptis, posthac recitari omnino debeat Officium votivum, et non feriale, neque Sancti ritus simplicis.

(S. Rit. Congr. 18. Februarii 1889.)

TEMPORE QUADRAGES.
IN I. VESPERIS.

*Añæ et Capitulum de
Laudibus. 127. Psalmi ut
in j. Vesperis de Commu-
ni Apostolorum.*

Hymnus.

DEfensor alme Hispá-
niæ,
Jacóbe, vindex hóstium,
Tonitruum quem filium
Dei vocávit Filius.
Huc cœli ab altis sédibus
Convérte dexter lúmina,
Audiq̄ læti débitas
Grates tibi quas sólvimus.
Grates refert Hispánia,
Felix tuo quæ nómine :
Te gloriátur júgiter
Dignáta sacris óssibus.
Tu, cæca nox atque ímpia
Nos cum tenéret vánitas,
Lucem salútis prímítás
Oris Ibéris ímpetras.
Tu, bella cum nos cíngere-
rent,
Es visus ipso in proelio,
Equóque et ense acérrí-
mus
Mauros furéntes stérnere.
Freti tuo nos pignore,
Largum tuo te múnere
Rogámus omnes, ut tuæ
Spe prótegas præsentíæ.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Filio,
Cum Spírítu Paráclíto,
Et nunc, et omne in sæ-
culum. Amen.
¶ In omnem terram
exívit sonus eórum. *R.* Et

in fines orbis terræ verba
eórum.

Ad Magnif. Añæ. Misit
Heródes* rex manus, ut
afflígeret quosdam de Ec-
clésia. Occídít autem Ja-
cóbúm fratrem Joánnis
gládío.

Oratio.

ESto Dómine plebi tuæ
sanctificátor et cus-
tos : ut beáti Jacóbi Apó-
stoli tui muníta præsídiis,
et conversatióne tibi plá-
ceat, et secúra mente de-
sérviat. Per Dóminum
nostrum.

Et fit Commem. Feriæ.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem Apostoló-
rum Dóminum, * Veníte
adorémus. *Ps.* Veníte.

*Hymnus, Añæ, Psalmi
et V. trium Nocturno-
rum de Communi Aposto-
lorum.*

Inj. Nocturno, Lectiones.
Sic nos existimet homo.
de Communi Apostoló-
rum extra tempus Pasch.
cum *R. R.* ut infra (omisso
allelúia) p. 130.

MENSIBUS FEBRUARIO
ET MARTIO.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

JAcóbus, Zebedæi
filius, Joánnis
Apóstoli germá-
nus frater, Galilæus, in-

ter primos Apóstolos vo-
cátus cum fratre, relictis
patre ac rétib; secútus
est Dóminum, et ambo ab
ipso Jesu Boanérge; id
est, tonitruum filii sunt ap-
pelláti. Is unus fuit ex trib-
us Apóstolis, quos Sal-
vátor máxime diléxit, et
testes esse voluit suæ
transfiguratiónis, et in-
teresse miraculo, cum
archisynagógi filiam a
mórtuis excitávit, et
adésse, cum secéssit in
montem Olivéti, Patrem
oráturus, ántequam a Ju-
dæis comprehenderétur.
R. Assúpsit Jesus Pe-
trum, et Jacóbúm, et
Joánnem fratrem ejus, et
duxit illos in montem ex-
célsum seórsum : * Et
transfigurátus est ante
eos. *V.* Et ecce apparé-
runt illis Móyses et Elías
cum eo loquéntes. — Et
transfigurátus.

Lectio v.

Post Jesu Christi ascen-
sum in cœlum, in
Judæa et Samaría ejus
divinitatem prædicans,
plúrimos ad christíanam
fidem perdúxit. Mox in
Hispániam proféctus, ibi
áliquos ad Christum con-
vértit : ex quorum núme-
ro septem póstea Episcopi
a beáto Petro ordináti,
in Hispániam primi di-
récti sunt. Deínde Jero-

sólymam revérsum, cum
inter álios Hermógenem
magum fidei veritate im-
buisset, Heródes Agrippa
Cláudio imperátore ad re-
gnum elátus, ut a Judæis
grátiam íniret, Jacóbúm
libere Jesum Christum
Deum confiténtem cápitis
condemnávit. Quem cum
is, qui eum dúxerat ad
tribúnal, fórtiter marty-
rium subeúntem vidisset,
statim se et ipse Christiá-
num esse professus est.

R. Potéstis bibere cáli-
cem quem ego bibo? aut
baptismo, quo ego bap-
tizor, baptizári? dixit Jesus
Jacóbo et Joánni filiis Ze-
bedæi. * At illi dixerunt
ei : Póssumus. *V.* Cálicem
quidem quem ego bibo,
bibéti; et baptismo quo
ego baptizor, baptizabí-
mini. — At illi.

Lectio vi.

AD supplicium cum
raperéntur, pétiit
ille a Jacóbo véniam :
quem Jacóbus osculátus,
Pax, inquit, tibi sit. Ita-
que utérque est secúri per-
cússus, cum paulo ante Ja-
cób; paralyticum sanás-
set. Corpus ejus póstea
Compostéllam translátum
est, ubi summa celebritate
cólitur, conveniéntibus eo
religiónis et voti causa ex
toto terrárum orbe pere-
grínis.

R. Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem secum, et cepit pavere et tædere. * Et ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem. **V.** Sustinete hic et vigilate mecum. — Et ait illis. Glória Patri. Et ait illis.

Mense Aprili, Lect. cum RR. (omisso alleluia), ut infra. 130.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20. c.
In illo tempore : Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, et petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 66. in Matth.



NON turbetur quisquam, si adeo imperfectos dicimus Apostolos fuisse : nondum enim mysterium crucis erat consummatum, nondum gratia Spiritus in corda ipsorum infusa. Quod si virtutem ipsorum discere cupis, quales post datam gratiam Spiritus fuerint, considera, et videbis omnem ab illis perversam affectionem fuisse

superatam. Hac enim de causa eorum modo imperfectio revelatur, ut aperte percipere possis, quales subito per gratiam effecti fuerunt. Quod igitur nihil spiritale petebant, nec de coelesti regno quidquam cogitabant, perspicuum est. Sed tamen inspicimus etiam quomodo accedant, et quid dicant. Volumus, inquit, ut quodcumque petierimus, facias nobis. Ad quod Christus, Quid vultis? respondit : non ignorans certe, sed ut eos respondere cogat, et ulcus detegat, et ita medicamentum apponat.

R. Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia : * Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. **V.** Ecce ego mitto ad vos Prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occiditis. — Occidit.

Lectio viij.

Illi vero cum erubescerent, et verecundia prohiberentur, quoniam humano affectu eo devenerant, seorsum ab aliis discipulis Christum accipientes, interrogaverunt. Progreffi sunt enim, inquit, ne illis manifesti fierent : et ita demum ea, quæ volabant, dixerunt.

Volabant autem, ut ego conjicio, quoniam super duodecim sedes sessuros discipulos audierunt, primatum hujus consessus impetrare : et præponi quidem se ceteris sciabant; Petrum vero sibi præferri formidantes, dicere ausi sunt : Dic ut unus a dextris, alter a sinistris se deat. Et urgent dicentes : Dic. Quid igitur ipse? Ut significaret eos nihil petere spiritale, sed nec scire quidem quid postulerent : non enim petere auderent, si scirent : Nescitis, ait, quid petatis : nescitis quam magnum hoc sit, quam mirabile, ac ipsas superiores excedens virtutes.

R. Iste est, qui ante alios Apostolos primus plantavit Ecclesiam sanguine suo : * Cujus corpus in Gallaciam delatum per totum orbem gloria illustratur. **V.** O sidus, o decus Hispaniæ, sancte Jacobe Apostole, intercède pro nobis ad Deum, qui te elegit. — Cujus. Glória Patri. Cujus.

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Ferie.

Lectio ix.

ET adjecit : Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum : et baptismo, quo ego bapti-

zor, baptizari? Perpendis, quomodo statim ab hac opinione ipsos removit, contraria eis disserens. Nam vos, inquit, de honoribus et de coronis mecum agitis : ego vero de lactamine atque sudore dissero. Non præmiorum hoc tempus est, nec illa gloria mea modo apparebit : sed cædis ac periculorum tempus præsens est. Pèrspice autem, qualiter ipse interrogationis modo et hortatur, et allicit. Non enim dixit : Potestisne cædem subire, potestisne vestrum effunderesanguinem? Sed, Quonam pacto potestis bibere calicem? Deinde alliciens, inquit, Quem ego bibiturus sum : ut ipsa cum eo communicatione laborum promptiores redderentur.

Te Deum laudamus.

Mense Aprili, Lect. cum RR. (omisso alleluia), ut infra. 132.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Accessit ad Jesum * mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, et petens aliquid ab eo.

Psalmi de Dominica.

2. Dic ut sedeant * hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.